



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1143. Usque Ad Annum 1176

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1762**

**VD18 90118014**

§. 3. Anastasii obitus. Hadrianus IV. Papa.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66377)

Sæcul. XII.  
A.C. 1154.

§. III.

*Anastasi obitus. Hadrianus IV.  
Papa.*

*Cod. Vatic.  
Baron. &  
Papeb.*

*Chron. Vos.  
to. 2. Bibl.  
Lab. p. 308.*

*Guil. Neu-  
brig. II. c. 6.*

Paulo post quam Regni habenas capessivisset, litteræ allatæ sunt, quibus de obitu Anastasii IV. Papæ, & de electione Hadriani IV. certior fiebat. Nam Anastasius eodem anno millesimo centesimo quinquagesimo quarto secunda die Decembris defunctus est, cum annum unum, menses quatuor, & dies viginti quatuor Ecclesiam rexisset. Die sequente, tertia Decembris, quæ erat Feria VI. Papa eligitur & coronatur Nicolaus, Episcopus Albanensis, dictus Hadrianus IV. qui Ecclesiæ Romanæ annos quatuor & menses novem præfuit. Is natione Anglus fuit, nomine Nicolaus *Brec-Spère*, id est, *Hastatus*, parente Roberto Clerico, qui Monachum ad S. Albanum induens, filium impuberem & admodum pauperem reliquit in sæculo. Tum adolescentiam ingressus, cum propter inopiam scholis vacare non posset, idem monasterium quotidianæ stipis causa frequentabat. Erubuit pater, verbisque mordacibus socordiam ejus increpitans omni solatio destitutum cum gravi indignatione abegit. Juvenis, necessitate premente aliquid audere coactus, trajecto mari Galli-

Gallicas adiit regiones, ubi cum nullum Sæcul. XII.  
 fortunæ beneficium inveniret, usque in A.C 1154.  
 Provinciam ad Monasterium Canonico-  
 rum Regularium S. Rufi pervenit, & qui-  
 bus potuit obsequiis se ipsis commenda-  
 re curavit. Quoniam vero erat corpo-  
 re elegans, vultu jucundus, prudens in  
 verbis, ad injuncta impiger, toti Con-  
 gregationi placuit, usque adeo, ut ab iis  
 rogatus habitum Regularem susceperit.  
 Inter ipsos compluribus annis versatus  
 magno zelo & disciplinæ amore eminuit.  
 Læctioni sedulo incumberebat; unde per-  
 spicaci ingenio & facundia a natura præ-  
 ditus in scientia & eloquentia mire pro-  
 gressus est. Tandem Guilielmo II. fa-  
 tis functo ipse summo omnium consensu  
 Abbas eligitur.

Ecce vero, elapsis exinde paucis an-  
 nis, ipsos pœnituit, quod hominem pe-  
 regrinum sibi ipsis præfecissent, calu-  
 mnyas cuderunt, & querelas ad Sedem  
 Apostolicam detulerunt. Eugenius III.  
 auditis accusationis capitibus, miratus,  
 quam sapienter, quam modeste Nicolaus  
 se se defenderet, pace inter Abbatem  
 & monachos utcunque composita, re-  
 conciliatos dimisit. At non diu tenuit  
 pax domestica, grandiusque intonuit re-  
 dividiva tempestas. Tum Pontifex a Ca-  
 nonicis iterum interpellatus, Scio, ait,  
*quæ turbarum vestrarum causa sit. Ite,*  
 &

Sæcul. XII. *Et eligite vobis alium, quocum pacem*  
 A.C. 1154. *habere possitis; hic autem vobis amplius*  
*non erit oneri.* Ita utrique parti prospiciens, Nicolaum Romæ retinuit, ejus opera in negotiis gravioribus usus, ac Cardinalem Episcopum Albanensem creavit.

*Cod. ap.*  
*Papebr.*

Inde ad Norwegos Legatus missus Nicolaus, cum barbaram nationem in Lege Dei instruxisset, redux in Sacram Sedem evehitur. Hadriani promotione comperta Henricus, nuper proclamatus Rex Angliæ, literas ad eum exarari jussit, videlicet olim Regno suo subditum & popularem, gratulatus Angliæ, quod arborem produxisset tam feliciter in aliam regionem transplantatam. Hortatur ut Ecclesiæ dignos Ministros præficiat, ac Terræ Sanctæ & Imperio Græcorum auxilia præparet.

*ap. Petr.*  
*Bles. ep. 168.*

§. IV.

*Arnaldi Brixienfis extrema.*

*Act. ap.*  
*Baron. an.*  
 1155.

Inter hæc Arnaldus Brixienfis Romæ versabatur, erroris sui venena publice disseminans, civium quorundam seditionum & inprimis Senatorum factione munitus. Nam quidam ex iis, quos Arnaldus seduxerat, Gerardum Presbyterum Cardinalem tituli S. Pudentianæ in platea Sacra procedentem, & ad Papam se se collaturum, ausu temerario inya-